Aud: R., tantane sunt omnium mortalium crimina, ut huic
soli rufo possint comparari, et laudabuntur illi, qui tantorum
scelerum capaces esse potuerunt? cogitate quaeso vos Aud: quid de
illis vobis statuendum sit, quos semel vobis omnibusque mortalibus exiti=
um attulisse scitis, et a quibus iterum omnium creatorem morti pro=
ditum fuisse non ignoratis, si non abominamur laqueos, quibus hominum
profligatorum frangit iugulum, si ferrum, quo latronis cervix
sublata est vel aspicere non sustinemus, vos etiam rubros, quorum
perfidia, in tanto tamque praesenti salutis nostrae periculo consti=
tuti sumus, vos, inquam, laudabimus? meliora Coelites, nondum
omnis pudoris verecundiam expulare iussimus, faciant hoc illi, quia
effrontes sunt, et quia rubri sunt, ad scelerum vituperia so=
lent erubescere, nos ad alia rufforum scelera progrediamur, imo
hic subsistamus, audio enim clamari, et ab adversario impugnari
omnium qui ante aut perorarunt, aut scripserunt sententiam, quia
enim hoc immensum et perenne rufforum dedecus refutari non
potest, Iudam illum Iscarioth negat rubrum: Quid? Iudas non fuit
rufus? unde probas? ubi vidisti? quis dixit? nonne ab omnibus
pictoribus ruber pingitur? nonne hoc affirmant omnes? nonne
vox populi vox est Dei? nonne omnes hi, coram quibus ago, ad
quos peroro, quos appello, nonne omnes sciunt fuisse rubrum,
sed quare non fuit ruber? Carbonarii (ut Italos appellat) inquit pri=
mi pinxerunt rufum, quid, primi fuerunt Itali, et non Iudaei?
debebat a Iudaeis tantum nefas silentio (pictura enim est ta=
citus sermo) silentio, inquam tantum scelus praetermittendum
erat? Sed fac primi pinxerint Itali rufum Iudam, quid
tum? si male pinxerunt Itali, cur non corrigunt a Ger=
manis? cur nigrum non pingunt? si bene pinxerunt, uti
fatendum